

*Et nihil aliud deesse videtur, quàm ut propria rei confessio accedat, l. 1. §. 1. ff. de Quest. Bossius in Tit. de Indic. n. 17. pag. 169. Carpz. l. 2. qu. 108. n. 17. p. 68. Pr. Crimin. Hinc Doctores ad l. 8. C. de Question. hanc regulam formant: Judex primum argumentis verisimilibus & probabilibus utatur, antequam ad veritatis investigationem à tormentis initium sumat (3) Reus multis indiciis sit gravatus & ferè convictus, è quibus æstimare Judex delictum possit, commissum scilicet illud esse à persona diffamata. Cautius certè hic est procedendum, quia hinc majus subest periculum: propterea quòd tortura maximum famæ & bonæ existimationis creat præjudicium. Magnus itaque est lapsus eorum, qui sibi imaginantur: paria esse, & hominem torquere: & pilâ ludere. Hering. de Fidejussor. c. 10. n. 454. p. 272.*

(II) *Modus in observanda tortura.* Licet enim Judex ex præmissis indiciis, & facti notorietate ad torturam devenire possit, non tamen is pro suo lubitu actum torturæ perficere debet, verum juxta præscripta legum & articulorum criminalium, nec non informationem prudentum progredietur, & potissimum secundum ordinem, qui in posterum ei præscribetur. Vult itaque Imperator, quòd Tortura non debeat in quovis Judicis arbitrio consistere, sed in illa procedi juxta certos canones, quos ipse Judici se præscripturum promittit, quibusque quilibet in sanguinario Judicio tutissimè possit uti.

## ARTIC. IX.

*Accusator audiendus est, si post adhibitam torturam crimen probare velit.*

So der Gefangene der verdachten Missethat nicht bekäntlich seyn wolte/mag der Ankläger zu Weisung verstattet werden.

**W**olte aber ein solcher Gefangener der verdachten Missethat/ ohne/ oder durch peinliche Frage nicht bekäntlich seyn/ und er doch desselben überwiesen werden möchte/ So soll es mit derselben Weisung und Rechtfertigung darauf/ der Todstraff halben gehalten werden/ wie auch klärlich hernach gesetzt ist/ von denjenigen/ die durch Ankläger einbracht werden.

AD ARTIC. IX.

## ARGUMENTUM.

*Cum reus neque suâ sponte, neque per tormenta veritatem delicti à se commissi vult confiteri, de eo tamen, ut ut illud is protervè neget, tandem convinci possit:*